



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opera Varia

Noris, Enrico

Lugduni, 1707

Confutatio Palinodiæ sub nomine P. Henrici Noris publicatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72494)

CONFUTATIO
PALINODIÆ
SUB NOMINE
P. HENRICI NORIS
PUBLICATÆ,
AUCTORE
ANNIBALE RICCIO
Veneto, Sacræ Theologiæ Baccalaureo.



CONFUTATIO

PALLINODIAE

IN NOMINE

P. HENRICI NORIS

PUBLICATAE

AUCTORE

ANNIBALE RICCIO

Veneto, Sacrae Theologiae Baccalario.



49

ANNIBAL RICCIUS PHILALETHI S.



Ogor iterum, Lector optime, è fipario in scenam prodire, & alteram vel invito genio, fabulam ludere: siquidem intelligo, P. Norisii Adversarios deridiculas rursus strophas necere, dum novas scriptiunculas illius nomine dolosa arte in crustas evulgantes, cum invidiam, tum periculum in dies eidem moliri non cessant. Equidem in eunte hoc ipso, qui nuper exiit, anno 1676. Norisium, veluti omnium haeresem recoctorem, per summam calumniam traduxerant. Dein apud publicos magistratus novam accusationem urgebant, quod idem Sacrae, eique singulari nobilissimae Provinciae dignitati injurius fuisset, quippe qui illam à schismate derivatam contenderit. Postea quibusdam propositionibus parallelis inductis, eundem apud Eminentiissimi PP. qui Catholicae fidei sanctae servandae praesident, detulerunt, quod Michaelis Baii errores suis in libris recuderet. Sed nequam hic stetit Adversariorum conatus; nam Germanitates, ut eorum verbo utar, tota fallendi arte contextas publicarunt, ut illum Jansenio similiter loquutum ostenderent. Verum sacris, ac prophanis Tribunalibus multiplici accusatione fatigatis, quasi Purpuratorum Patrum, quam nudius tertius imploraverant, suspectam fidem haberent, Christum Dominum Judicem appellarunt, hunc planè titulum accusationis libello praefigentes. *D. N. Jesu Christo Crucifixo*; quam delationem ficto Humberti Carthusiensis nomine subfignatam, quaquaeversum spargere. Quis autem hominum audaciam non miretur, qui cum per se loqui aut nolint, aut nequeant, quod omnem in accusando pudorem exuant, aliena sibi nomina imponunt, ipsa religiosi silentii claustra irrumpunt, atque Ascetam rigidiori vitae instituto taciturnitati addictum, tot mendaciorum loquacissimum fingunt; nec verentur ad tremendum Christi Tribunal mentito nomine, ac tot dolis, & praestigiis instructos accedere. Etenim in eo scripto rara periodus mendaciorum immunis est, quemadmodum Norisius satis prolixam apologiam, quam Romam misit, luculentissime demonstravit, ut ex ejusdem ad amicum litteris intellexi. Decimus ferè mensis agitur, cum edita à Norisio volumina ad supremum Romanae Inquisitionis Tribunal delata sunt, & adhuc lentam manu censura premitur. At illi diuturnioris morae impatientes, Jesu Christi Judicium sollicitant, his planè vocibus ad calcem nuncupatoriae epistolae formidandum Mortalibus Judicem Deum compellantes: *Surge Domine, iudica causam tuam*; A quo sanè eos audire deceat: *Filii hominum nolite ante tempus iudicare*. Etenim quae hos homines intemperies transversos agunt, ut adeo molestè ferant Romanam censuram in perendinum trahi, ut eo accuratior, quo maturior feratur? Enim verò subridens haec mihi met, non semel in fursuravi. Videtis, ne quisquam Adversariorum Divini etiam Judicii tarditatem incusans, Norisium obtorto collo ad inferos trahat, ac Minoi, vel Rhadamanthe reum siliat, illud Poetae vociferans:

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

Cum de repente Norisium imperitissimi vulgi iudicio circumventum video, ac statim nullam quaestione habitam, imò vel nullam interrogatione instante, suos illum sponte errores fateri, ultroneam palinodiam canere, dicta indicta velle, ac veniam coram plebe humillimis precibus postulare. Vix oculis meis credidi, cum censuram, ac palinodiam Italico Idiomate sub Norisii nomine per dolum publicatam inspexi; ut non jam saeculares Magistratus, non facer Purpuratorum PP. confessus, non denique Christus ipse, quorum omnium Tribunalia appellaverant, sed pistores, lanifici, tonsores, ipsaque mulierculae legendi tantum gnarae, cum Norisium suos errores publicè expugnantem audiunt, totam adversarii causam statim adjudicent. Quod si Principum leges in publicarum tabularum corruptores tam severe animadvertunt, haud equidem minori supplicio is puniendus est, qui supposititio scripto virum ingenuum, ac severiores musas colentem, tot mendaciorum portenta, quae ne quidem somniavit, effutisse commentus est. Verum quamvis tantam imposturam architectus legem Corneliam illudere, & latere mortales Judices possit, ultorem latere non potest Deum. Hac maligna nocendi arte, hisce dolorum cuniculis, hisce supposititiis scriptiunculis pessima olim capita Hieronymo doctissimo, eidemque SS. Orthodoxi orbis Doctore insidias instruxere, nempe scriptum quoddam sub ejusdem nomine evulgantes, in quo multiplicium errorum palinodiam canere fingebatur. Quid ni igitur Norisius iisdem planè insidiis impetitus, cum eodem reponat, Lib. 2. in Russum, *Ego taceo, & litterae non meae loquuntur contra me. . . . Qui hoc ausus est facere, quid aliud non audeat?* Vnus, idemque Proteus, mutatis subindè formis, longiorem hanc fabulam ludit; cujus sanè insultus generoso potius silentio despiciendi forent, quam solidam responsione confutandi: at ne eorum imposturis quidpiam detrimenti veritas patitur, cogimur tam futilibus Strophis retexendis, unam, & alteram horam impendendo perdere, quod tamen antequam praesto, res mihi paulo altius repetenda est.

Nuperus Censor propositiones quasdam parallelas concinnarat, conatus demonstrare, Norisium ita iisdem cum Bajo concinuisse. Verum manifestam earundem thesium dissonantiam ex P. Maecidi scriptis ostendi; hic enim non uno loco easdem propositiones se cum Norisio, & quidem longè à Bajano sensu remotas, defendere affirmaverat. Mirum dictu, quanto eum plausu à doctis quibusque mea illa non minus vera, quam ingeniosa defensio excepta est: Siquidem docti, ac boni illius senis verba ad eum Noris dictis conformia exhibui, ut non interprete, sed lectore tantum opus esse videatur. At nescio, quis homo importunus, & mendax scriptum quoddam, furtivis typis excusum, sub nomine P. Noris in vulgus emisit; hoc illi titulo praefixo: *Censura del P. Enrico Noris sopra le risposte raccolte dal P. Annibale Riccio*: in qua quidem opella fingitur Norisius palam denunciare nusquam laudatarum thesium Maecidum secum sensisse. Non postquam

aurum

autem non in Stomacho ridere, cum bellissimum Cenuculum ingredior; nam uno, & altero verbo se veritati litare testatur, qui pura puta mendacia loquitur, ac plebeculæ, ad quam scribit, fucum facit. Porro hæc Norisium loqui mentitur.

Il mondo letterario avrà forse veduto (an creduto?) eh' il P. Maestro Macedo sia stato consapevole di quanto nella Scrittura delle risposte parallele sia divulgato: così che ciò in essa s'adduce, su costante opinione di quel grand'Uomo.

Parcius hoc: non magnus homo, qui plurima scribit.

Optima qui potuit scribere, magnus homo.

E pure come sono doctrine distantiissime dalle sue, così da lui ne anche furono fatte degne d'un'occhiata.

Ita quidem omnes, quibus integer oculorum usus est, in laudatis thesibus Macedum Norisio similiter loquutum viderunt. Num cuiquam, cum primum illam consociantiam aspexit, oculi doluerint, nescio. Cum P. Macedus traditam abs se doctrinam, plurium testium numero firmaturus, Norisium quoque cum laudis præfatione tam nobili scriptorum centuriæ inferuerit, quæ fronte de suis sententiis Norisius scribet: Sono doctrine distantiissime dalle sue? Videtis, quam supinæ hallucinationis Macedus infimuletur, qui Norim diversâ planè sententem, testem appellaverit. Clamat Macedus tom. 2. Collat. pag. 596. col. 2. v. 9. *Accedit noris, & clarus scriptor Noris in suo Libro de Historia Pelagianâ: Audin, ut Macedus suo illum lateri adjungit? Cur ergo Norisius Macedum à se remotissimum fingat?*

Perche egli dice il contrario nelle proposizioni, che sfacciatamente gli s'impongono, e servono irè per prova: una è: omnia opera infidelium sunt peccata: come io scrivo, & affermo essere di Santo Agostino vera, e legitima; e pure esso nella sua Cortina, e nella mente d'Innocenzo sostiene, che: Non omnia opera infidelium sunt peccata, sed ea tantum, &c. quale anche nella Logichetta si vede contraddittoria alla mia.

Hæc Norisium scribere? vah putidam imposturam! Ad talionem libri. Hæc ille tradit in Vindiciis Augustinianis cap. 4. §. 5. pag. 58. lin. 51. col. 1. *Respondeo tertio infideles aliquos actus bonos elicere, ad quos à Deo præmoventur, qui profecto peccata esse non possunt. Tradit hoc disertè S. Doctor cap. 24. de Gratia Christi, ubi recitato illo Scripture Sacre de Absueri imitatione testimonio, &c. Bajus verò nullos actus bonos ex Dei gratiâ ab Infidelibus fieri volebat. Næ ille affirmat, omnia opera Infidelium esse peccata, qui palam pronunciat, Infideles aliquos actus bonos elicere, qui peccata esse non possunt? Adeat calumniator suam, quam appellat, Logiculam, ac videat, num hæc duæ propositiones: infideles aliquos actus bonos eliciunt, quæ Noris est, & altera Baji: infideles nullos actus bonos eliciunt, sint contradictoriæ. Quod si neget, non ad Petri Hispani sumulas, sed Anticyras mittendus est. Verum aded manifesta est illatæ Norisio calumniæ falsitas, ut Lectorum tum patientiâ abuterer, tum etiam oculis diffiderem, si eandem pluribus confutarem. Sed iterum quæ sua eidem somnia affingat, audiamus.*

L'altra: omne, quod non est ex fide, peccatum est: quale sostengo essere proposizione di S. Agostino, e l'intento vera per la Fede Christiana abi-

tuale, e lui intente di qualche barlume di Fede eccitante, e transeunte.

Conchas facilius à scopulo, quam Norisium eâ in sententiâ à Macedo divelles. Cum vir eruditus pag. 597. col. 1. dixisset, expositionem S. Augustini in illa Apostoli Rom. 14. Omne, quod non est ex fide, peccatum est, erroris à nonnullis audacioribus appellari, Remitto, inquit, Lectorum ad eruditissimum P. Henricum Noris, qui in eâ, quam laudavi, Pelagiana Historia, in Vind. August. cap. 4. §. 5. evidenter ostendit, eam esse Ecclesiæ, Pontificum, & Patrum locum illum Pauli de fide, prout est in Theologica, intelligentium. Itaque non modo Noris sententiam probat, verum etiam testatur, ipsum evidenter ostendisse eam Ecclesiæ, ac Patribus probari. Huc te volo. Vel vir insignis putavit, laudatam interpretationem à Norisio intelligi de fide per modum actus, vel per modum habitus. Si primum dicas; Jam vides Macedum Norisio contententem; sin alterum malis: Videtis, qualem accurato Theologo hallucinationem imponas, qui erroneam Noris explicationem evidenter Ecclesiæ, ac Patribus probatam affirmavit. Enim verò ubinam in Norisii Scriptis vox *habitualis* insonuit? Imò tantum abest, ut textum Apostoli de Fide Christianâ habituali intellexerit, ut disertè cap. 3. §. 4. pag. 22. lin. 63. col. p. pronunciarit: *Solam Fidem acquisitam sufficere.* Est-ne Fides acquisita iæm, ac fides habitualis infusa? Imò hoc est mendacia venditare, ac Lectoribus fucum faceret. Pergit Impostor.

La terza, che colla necessità possa accoppiarsi la libertà con l'esclusione dell'indifferenza: pretendendo io in questo seguir S. Agostino, fondandomi ne Libri imperfetti contro Giuliano; e Macedo nega tale necessità, nè s'è mai persuaso essere quei Libri del S. Padre; anzi come io mantengo, e seguo l'interpretazione di Giansenio, e Baio, così Macedo riprovandole, tutto s'impugna ad esimere il Santo del sentire con la Dottrina loro, e delle loro imposture.

Rectè olim Romani parens eloquij exclamavit: à magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias facile se per se ipsam defendit! Haud ita potuit Impostor miseram hæc scriptiunculam veritatis fuce vestire, & ornare, quin spontè erumperent indicia manifesta, quibus malam artem, ac figmenti artificem manum proderet, ac falsitatem eò impudentius retegeret, quò imprudentius occultavit. Ità nè Noris omnem & frontem, & timorem posuit, ut in mediâ Italiâ ore planè infrunito diceret: *Mantengo, e seguo le interpretazioni di Giansenio, e di Baio? Et statim adderet, eadem esse loro imposture? Est nè vir ille pistillo obtusior, qui interpretationes, quas palam denunciat esse imposturas, sciens, ac volens, & sequatur, & defendat; idque publico etiam scripto testetur, hoc est, læsæ Fidei suo te ore reum publicet, ac Vaticana in suum caput fulmina accendat? Patent præstigiæ, detecta fraus, dolus omnis jam palam est. Num verò Noris in dogmare de libertate non quidè à necessitate, sed tantum à coactione, damnatam Jansenii opinionem sequatur, ex hæc utriusque Scriptoris anthithesti declaratur.*

J A N S E N I V S.

Infideles carent gratiâ sufficienti ad salutem tum proximâ, tum remotâ, & omnibus principiis ejus.

N O R I S.

Quamvis infideles careant auxilio proximè sufficienti, habent tamen quadam auxilia remota; unde non patitur.

Est.

Est titulus capite r. r. libro 3. de grat. Christi sal-
vat.

tur antecedentem necessitatem peccandi. In Vind. cap.
3. § 6. pag. 44. lin. 37. Col. 1.

Rursus qua fronte Noris testari aufit, Libros operis imperfecti contra Iulianum à P. Macedo S. Augustino abrogari, ac in apocryphorum quisquiliis detrudi, qui sciat, eisdem à S. Martino, & Agathone Romanæ Ecclesiæ Pontificibus, & ab Oecumenicâ Synodo VI. S. Doctore deputari? Cur Macedum religiosissimum virum Catholicæ Ecclesiæ iudicio, imò sibi ipsi adversari affirmet? Etenim toties ille præsertim in Cortinâ, eisdem Libros appellat, eorumque testimonio suas Sententias communit. At bellissimam fabulam prosequamur. Hæc de P. Macedo alieno ore Noris affirmat.

Che tanto è, che i suoi sentimenti s'accordino co' i miei nel modo, che le dette risposte conchiudono: quanto che lui si obbliga, che ogni volta gli venga dimostrata ne' suoi libri una delle mie proposizioni da lui censurate, e provata a dottrina sua, nè farà publico cartello di retrattazione, detestazione, & abiurazione in ogni forma solennissima.

Quis Pythius Apollo Macedonici pectoris arcana Norisio revelavit? qui nocturni lemures severiora hominis consilia eidem in aures insusurrarunt? qui bonus, malusve genius absenti Macedi animum indicavit? Num illa fortè ex Tullianis Libris de divinatione intellexit? Hoc scio, P. Macedum recitatas propositiones P. Noris testimonio confirmasse. Patent Libri, neque olim dicta indicta esse queunt, nullis jam officijs subliniri Lectoribus oculi possunt. Quod scripsit, scripsit. Vno verbo rem conficio: vel eadem Noris dixit, quæ Macedus, vel diversa. Si eadem, cur hoc neget? si diversa, cur illum Macedus laudat? cur lectores ad illum remittit?

Altera jam scena aperitur: ac Norisius novam fabulam alienis focis ornatus ludit.

In verità che questa risoluta deliberazione mi è stata di stimolo acutissimo, per imitare l'ingenuità di sì grand' Uomo, e dar principio à sodisfar' il Mondo, che aspetta qualche mia giusta retrattazione. Onde ben esaminata le proposizioni del mio Libro, e viste quelle sono degne di censura, comincerò à ritrattarmi dall'impostura di Semipelagianismo al gloriosissimo, e dottissimo S. Vincenzo Lirinese.

Hæc est ridicula palinodia, quam antè biennium quasi Norisii manu exaratam, publicaverant, & quidem iisdem omnino verbis contextam, ut cum nihil novi contra eundem garrire possint, rancidas modò Strophas repetant, ac recoctam crambem reponant. Semipelagianorum sententia fuit, gratiam omnibus offerri, non tamen universis, ac singulis applicari, sed iis ut plurimum dari, qui prius eandem peterent, quærent, ac pulsarent, ne Deus sine ullâ industriâ, sine studio, sine labore, inertibus, atque otiosis sua dona conferre videretur. Vincentius cap. 37. Commonitorii errare dicit asserentes quoddam magna, & specialis, ac planè personalis quedam sit Dei gratia, adè ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ullâ industriâ, etiamsi nec petant, nec quærant, nec pulsant &c. ubi specialem Dei gratiam vult esse effectum laboris, studii, ac industriæ, quibus petimus, quærimus, ac pulsamus, cum tamen ipsamet gratia specialis, & personalis sit causa petendi, quærendi, ac pulsandi. At Sancti Augustini discipuli assererant, dari hominibus gratiam specialem, ac personalem, & si nec peterent, nec quærent, nec pulsarent, cum ad hoc etiam à Deo infundatur, ut petamus, ut quæramus, ut pulsemus. Quis au-

tem nesciat, petere, quærare, ac pulsare fuisse illas veluti anstulas, vel occasiones, quas Massilienses præmittent, ad hoc, ut specialis, ac personalis gratiæ donum rationabile iudicaretur? Sed inquit: non addere Vincentium propriis viribus. Insulse. Putasne Massilienses unum illud, & alterum verbulum semper addidisse? Viden, ut Vincentius speciali, ac personali gratiæ industriam, laborem, ac studium invicem opponat, ut illa horum effectus, non autem causa intelligatur? Nullus reapse petit, quærit, aut pulsat, nisi speciali, ac personali gratiâ ad eisdem salutare actus præmoveatur: igitur specialis gratia datur, etiamsi quis illam non petat, aut quærat, cum idè detur, ut quærat, ac petat. Si Vincentius Augustini sententiæ adhærebat, cur illud verbum omisit, quo solo à Massiliensium opinione discrepare videretur? Scribebat Vincentius in Provinciâ, in quâ id temporis docti quique Augustino adversabantur, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidus Amatores, teste Prospero in Epistola ad S. Doctorem. Utitur iisdem verbis, laboris, studii, atque industriæ; Item, quærendi, petendi, ac pulsandi, quæ Massilienses illis in disputationibus invexerant, ac suæ Scholæ propria fecerant: Quidni igitur Vincentius eadem repetens, unus illorum fuisse iure, ac merito dicatur? His addatur arguta quidem, sed falsa Epistolæ Cælestini interpretatio, & non obscure quâ in sententiâ fuerit, apparebit. Pergit argutari.

Anche per altro capo evidente apparisce libero data sospetto il medemo Lirinese; perche per opinion' anche mia ei non puote apprendere quell' errore sotto l' Abate Fausto, avendo io avuta quella sentenza nel lib. 2. cap. 11. ove dissi: Cum Abate Fausto, sub Abate Fausto, cum cancellis Lirinensibus.

Didicit eam opinionem, uti scitè vir multæ eruditionis Garnerius notavit, ex Libris Cassiani, ex quibus illam ceteri hauserunt. Cum verò Norisius scripsit, sub Abate Fausto Vincentium Massiliensium sententiæ accessisse, id juxta vulgarem opinionem dixit; omnes enim putant Commonitorium apud Lirinam scriptum fuisse, quod tamen Noris ibidem negat. Hinc pag. 126. v. 38. col. 2. hæc ait: Vincentii sub eodem Fausto Monachi, ut volunt, artem non detexit. Audin ut volunt? Potuit ne clarius ostendere, se juxta aliorum placitum loqui, quod tamen inferius confutat? Ut Norisium antilogiæ infimulent, ea verba supprimunt, quæ omnem contradictionem ab eisdem scriptis eliminant. Sed en alteram ejusdem antihistoriam.

Essendo io stesso affermo quell' epistola di Celestino essere stata approvata, & accettata dal predetto Vincenzo Lirinese nelle Vind. cap. 8. pag. 106. lin. 1. col. 2. nel qual luogo scrivendo di queste lettere di Celestino, dissi: Idem Vincentius Lirinensis eadem producit in Commonitorio adversus prophanas vocum novitates, easque plurimum commendat. Adunque ciò, ch' io altra volta dissi, cioè che il Lirinese abbi estorto il senso di quelle lettere à favore del suo errore, e contro Prospero, ora dichiaro per ritrattato, rammentandomi di quelle parole, che seguitano: Quâ fronte Vincentius eas sibi favere literas jactasset, quibus ipsiusmet opinioniones condemnabantur? Conosco queste parole per mie, colle quali vi roco ciò, che prima di quelle lettere giudicato, e trattato avevo.

Papè

Papæ: qualem Norisio Chimæram obiiiciunt? Vincentius litteras Cælestini admisit, uti etiam cæteri Massilienses admiserunt. Igitur neutquam eandem in Augustinianæ sententiæ defensores retorfit: Non vidit Norisius hujus consecutionis necessitatem. Scribitur de Massiliensibus cap. 3. appendicis ad litteras Cælestini: *Eaque tantummodo sequi, & probare profitentur, quæ sacratissima Beati Apostoli Petri Sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium Præsulum suorum sanxit, & docuit.* Illi ergo, utpotè viri Catholici, litteras Cælestini receperunt; verùm pro suâ ipsorum sententiâ eandem loqui contestabantur. Hanc chordam mox iterum pulsabo. Cæterùm in posteriori textu cum Norisius scripsit: *Quâ fronte Vincentius eas sibi favere litteras iactasset, quibus ipsius mee opiniones condemnabantur?* Negat opinionem Vincentii, ac fociorum damnatam fuisse à Cælestino; quippè qui haud illius appendicis auctor sit, sed hæc Cælestini litteris assuta fuerit. Dum verò ait, *ipsiusmet, nempe Vincentii, opiniones condemnabantur;* ea, quæ antea scripserat, expungit? Imò diserte, ac luculenter errorem Vincentii designat, asserens in illâ appendice, ipsius opiniones condemnari. Et quidèm cur Norisius palinodiam caneret, cum videat viros doctrinâ, & eruditione illustres, suæ ipsius sententiæ albos calculos adjicere, & eandem suis libris inferere? Hæc scribit Pater Paschasius Quesnellus Presbyter Oratorii Parisiensis disertè 3. p. 2. operum S. Leonis pag. 397. *Si pro parte, vel appendice litterarum Cælestini Papæ habitæ tunc essent ejusmodi capitula, itane pudorem omnem abjecisset Vincentius Lirinensis, ut profususque scriptum esse à Cælestino in illis literis, tam grandi tubâ personaret, ut fecit in suo Commonitorio? qui enim ausus est novitatis notam Augustini adversariis à Cælestino iniustam, in Sancti Doctoris discipulos rejicere; veritus esset, ne tam apertis definitionibus capitulorum, quibus suorum Massiliensium, & Lirinensium errores sæpius proscribentur, revinceretur, ac impudentis argueretur mendacii?* Hæc vir eruditissimus in litteras miserat, antequam Norisii librum evolveret: nam ibidem pag. 417. *His, inquit, ita scriptis, jamjamque prælo subiciendis, incidi in vindicias Augustinianas doctissimi viri Henrici de Noris, ex quarum cap. 8. plurima scit, sine cereque scripta hæc transferenda essent; sed quoniam infiant opera, sufficiat locum indicasse, quem adiiisse lectorem nequaquam penitebit.* Abeat igitur Impostor cum fictâ suâ palinodiâ, eamque in suo grege crepet; quandoquidèm tanta illum mentiri portenta delectat. Sed iterum commentatur.

Non posso non rievocare con piena retrattazione quelle quattro gravissime ingiurie da me con più passione, che veritâ inferite à S. Vincenzo Lirinense, quali, se fossero vere, mostrerebbero essere ingiuste la di lui Canonizzazione. La prima: che fu bersaglio del suo commonitorio la fama di S. Agostino, contro il quale egli lo scrisse.

Nugas, ac gerras germanas loquitur; quatuor crimina fingit, quæ nulla sunt. Hoc tibi familiare, idque turpissimum crimen est, tua somnia, ac imposturas alteri affricare. Quò pressius, ac brevius adversarii dictum refellam, libeat hunc syllogismum inducere. Antiqua tantùm dogmata defendenda, ac tradenda sunt, nova verò fugienda; atqui Augustini sententiâ de efficaci Dei prædestinatione ad fidem, & perseverantiam finalem, est novum dogma, hoc igitur cuique fugiendum est. Ita planè Massilienses ratiocinabantur, quibus minor illa propositio certa erat; undè Prosper scribit ad Au-

gustinum: *Multi ergo servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.* Et versùs finem: *Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus, patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quòd retractatis Priorum de hac re opinionibus, penè omninò par invenitur & una sententiâ, quâ propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt.* Idem scripsit id etiam temporis Hilarius ad eundem S. Doctorem: *Hoc etiam, inquit, de aliorum libris, quorum est in Ecclesia auctoritas, faciunt, quod perspicit sanctitas tuâ non parùm posse juvare contradictores, nisi majora, aut certe paria proferantur à nobis.* Non enim ignorat prudentissima pietas tuâ, quantum plures sint in Ecclesiâ, qui auctoritate nominum in sententiâ teneantur, aut à sententiâ transferantur. Quibus S. Pater cap. 14. de Prædest. SS. rescripsit: *Si hujus ergo sententiæ defensionem ex Divinorum eloquiorum nos præcedentibus Tractatoribus promeremus; profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquiescerent, hoc enim significastis literis vestris. Quid igitur opus est, ut eorum sciremur opuscula, qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum questione versari, quòd procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur?* Idem tamen cap. 19. de Dono perseverantiæ, inducitis Cypriani, Nazianzeni, ac Ambrosii testimoniis, suam sententiâ confirmat. Itaque Massilienses certò sibi persuaserant, novam esse Augustini sententiâ, nec quidpiam secus opponere sciebant Prosper, Hilarius, ac pauci id temporis Sancti Augustini discipuli. Hinc factum est, ut Vincentius majorem adducti Syllogismi propositionem probandum assumpserit, quòd non minori eruditione, quàm elegantia præstitit in Commonitorio, in quo Sancti Augustini sententiâ neutiquam oppugnavit, quæ quòd vera erat, antiquissima etiam habenda est, quamvis compertum non sit, sanctum illum virum eo tantùm consilio scripsisse, ut suo illo volumine Augustinianæ sententiæ novitatem obliquè pulsaret. Hinc prudenter Norisius scripsit eo loci pag. 127. ver. 19. col. 2. *Cum Augustini fortasse doctrinam de prædestinatione veluti per cuniculos eo opusculo subruere tentaret.* Nec tamen S. Doctoris famam impetivit; aliàs Augustinus, dum adversus S. Cypriani opinionem tot doctissimis voluminibus conflixit, SS. Martyris famæ injurius fuisse diceretur.

La seconda: Che habbi ingiuriati con titolo d' Eretici i Discipoli del mio Santo medesimo, e censurata d' eretica la Dottrina inespugnabile dello stesso.

Scribit Prosper in laudatâ Epist. putasse Massilienses sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem. Hinc hæreseos notam illam opinionem defendentibus impingebant. Hoc pluribus idem Prosper testatur in Epistolâ ad Rufinum. Non ne in controversiâ de gratiâ Scholæ sibi invicem adversæ, sibi mutuo Calvinismum, aut Semipelagianismum obiiiciunt? Vincentius acerbiorē sanè notam, fervente tamen dissensione, adversariis iniussit. Quis verò nesciat, quâ Censuræ acerbitate Hieronymus in Ep. ad Theophilum, & Cyrillus in literis ad Atticum, magnum Chryostomum perstrinxerint? Neutrius tamen sanctitati ea amariora dicta nocere, neutrum ex albo Sanctorum expungit. Brevem hanc Sanctissimis viris apologiam donat Baronius ad Anno 412, propè finem: *Ho-*

mines enim illi erant, & humanis passionibus obnoxii.

La terza. Che aderendo ài Semipelagiani, à favor loro convertisse la decretale di Celestino, con depravarla.

Cùm Cælestinus eâ in epistolâ dixisset desinat, si id res sunt, incesbere novitas vetustatem: nihil inderim circâ agitatum id temporis controversiam definiens; Vincentius argutè suis illam epistolam favorabilem pronunciavit, quippè qui antiquorum Patrum sententiam adversus novam, ut putabant, Augustini opinionem defendebant. Detur id ejusdem ergâ Apostolicam Sedem reverentiæ, cui quantum etiam cæteri Massilienses deferrent, ex capit. 3. appendicis ejusdem literis additæ, proximè observabam. Cùm Alexander VII. in litigiis de attritione literas Apostolicas publicasset, Christianam in disputando modestiam injungens, nihilve eâ de re interim definiens, utraque disputantium factio cum oppositæ præjudicio, laudatas literas sibi favore jactabat: quod ex libellis acutissimi viri Francisci Farvacques Augustiniani Doctoris Lovaniensis, & P. Maximiliani Le Dent Jesuitæ intelligitur. Porro Vincentium memoratas Cælestini literas contra Prosperum retorsisse tradunt viri insignes, qui etiam inter homines ambulat, Lupus, Frassenius, ac Quesnellus, uti postea monstrabitur, nec fictitii illius criminis, cujus palinodia Norisio imperatur, scrupulus illorum quempiam incescit.

La quarta: Che abbino avuto origine dal di lui Santissimo, e modestissimo ingegno i portentosi paradossi intollati. Objectiones Vincentianæ, ordite contro la riputazione della dottrina di S. Agostino.

Audiantur Lovanienses tom. 7. Operum S. Doctoris in appendice, ubi hæc objectionibus Vincentianis præmittunt. *Sunt, qui arbitrentur Vincentium hunc Lirinensem illum fuisse, cujus extat opusculum adversus prophanas hæreson novitates: certè hoc tempore in Galliis floruit.* Antè centum ferè annos eruditus hominibus ea sententia stetit, cui non modò Lovanienses nullam notam inussere, verùm etiam eandem, additâ temporis circumstantiâ, confirmarunt. Illæ objectiones à Scholasticis illationes ad impossibile appellatur, in quas ex prioris assercionis consecutione quis ed adigitur, ut earumdem absurditate deterritus, à semel conceptâ opinione resiliat. Et quidè datâ duplici sententiâ Sancti Augustini de efficaci prædestinatione ad gloriam, ac reprobatone ex prævio peccato originali, nonnè plurimi recentiorum Vincentianas objectiones contra utramque memoratam sententiam restaurant, quin tamen ullam se injuriam Augustino inferre arbitrentur? Vincentii factum nulli reprehensionis obnoxium fuit; Siquidè ea scripsit, vix mortuo ante quadriennium S. Doctore, cum passim una, & altera ejusdem sententia in Provinciâ à viris Sanctitate, ac doctrinâ illustribus impugnarentur, nec ullius Pontificis, aut Synodi decretis confirmatæ fuissent, uti postea factum est. Et quidè quæ errorum pertenta Prædeterminantes, ac Scientiæ mediæ defensores non sibi invicem obiciunt? Id verò eorumdem pietatis, ac Sanctimonie, modò absint sales, ac scommata, neutiquam nocet. Utraque tamen Schola procul se ab objectis erroribus profestetur; quos etiam à S. Augustini sententiâ Prosper non minus solidè, quàm sapienter removet.

Quis autem à risu temperet, dum videt istos homines fingere tot crimina à Norisio Vincentio imputata fuisse, illumque ferâ tandem paenitentia ductum,

eadem unâ liturâ delere. Tantam alienæ conscientie scrupulosiores isti curam gerunt, cùm tamen haud Religioni ducant supposititia scripta vulgare, publicè mentiri, ac aliorum dicta, uti mox declarabo, dolosâ arte corrumpere. Itâ dùm hac fictâ palinodiâ Norisii crimina eluere mentiuntur, imposturis, dolis, ac fallaciis turpem operam navant, & aliena, quæ fingunt, crimina corrigentes, veris, iisque turpissimis se noxis obstringunt, quarum utinam privatam saltem in sacrâ exomologesi palinodiam recitent, qui publicam aliis imponunt. Sed quid insuper novi ferat Africa, videamus.

Ne l' mio fondamento di liberar il medesimo Vincenzo dalla nota d' Eresia Semipelagiana, perche in quel tempo non fosse condannata, puole sussistere, avendo io detto lib. 2. Hist. Pelag. pag. 121. ver. 9. col. 2. Cælestinus Sancti Augustini jam inter superos se Pontifice relati, primus Romanorum Præfulum doctrinam consecravit: che vale tanto, come dichiarala Catholica, e di canonica autorità; e nel medesimo Libro pag. 237. Cælestinus Apostolica auctoritate adversus Semipelagianos Augustini doctrinam defendit.

Quis hunc verborum prodigum non fateatur, qui ne rogatus quidè, tanta Norisii vice, sibi, suisque simillimis occidit. Norisius cùm scriberet, Cælestinum Sancti Augustini doctrinam commendasse, consecrandi verbo usus est, ut eâ voce Apostolici oris majestatem exprimeret; quâ ratione antiquitus ea cuncta, quæ ad Imperatores spectabant, sacra dicebantur; undè sacræ largitiones, sacræ cognitiones, sacrum consistorium, & ipsa epistola per antonomasiam sacra appellabatur. Neutiquam verò dixit, consecrasse, hoc est inter dogmata Catholicæ Fidei retulisse; undè & in altero testimonio adducto scripsit: *doctrinam defendit.* Certè declaravit Sancti Augustini doctrinam nulli contra fidem errori obnoxiam esse. Verùm Massilienses, teste Prospero in calce Libri contra Collatorem, tale Pontificium encomium prioribus S. Doctoris Libris, non iis, quos ultimâ ætate elucubraverat, delatum fuisse contendebant. Vincentius verò antiqua dogmata à Patribus accepta, à Cælestino laudata affirmavit; undè eâ solùm ratione Augustini doctrinam laudatam contendit, quatenus cæterorum Patrum sententiis conformis apparebat; in illam verò opinionem, quam de efficaci prædestinatione ad fidem, & perseverantiam novam invexerat, Cælestini elogium non cadere. Falsâ quidè interpretationes; sed quæ Massilienses Catholicos fuisse demonstrant; quippè qui non ausi Romanæ sedis dictis obistere, eadem quæ sitis utcumque interpretamentis explicare conabantur.

Onde S. Prospero, che prima chiamava Catolici i Semipelagiani, dopo d'aver impetrato le lettere di Celestino, mutò lo stile, chiamandoli Lupi, Calunniatori, Ipocriti, colubri, serpenti, &c. Non è dunque vero, che la dottrina di S. Agostino non sia stata approvata da Celestino, e la contraria Semipelagiana condannata.

Prosperum appellasti, ad Prosperum ibis. Se deat ille utriusque nostrum honorarius Arbiter, ac sententiam in causâ ferat: Hæc ille scribit in epilogo operis contra Cassianum de Massiliensibus, quos vulgò Semipelagianos vocamus: *Quorum tamen dum adhuc non sunt à fraternâ societate divisi, toleranda magis est intentio, quam desperanda correctio.* Addit hoc Scholion Baronius Anno 433. *Hæc Prosper cùm perorat, intelligis Cassianum inter Catholicos professa-*

professores adnumeratum. Consentit Suarez proleg. 5. de grat. cap. 5. num. 6. Nondum enim erat, inquit, illa sententia hæresis, vel erroris damnata ab Ecclesiâ, ut Prosper in fine Libri contra Collatorem aperte docet Cassianumque inter Catholicos numerat. Hinc Vasquez 1. p. disp. 89. cap. 4. num. 24. vocat Semipelagianos viros aliqui Catholicos, & religiosos. Sed ad Prosperum redeo. Idem cap. 33. scribit: Quis hæc prædicari à Catholicis inter Catholicos crederet? Porro cum illa Prosper in literas misit, diem obierat Cælestinus, cum ibidem Sixtus ejusdem successor à Prospero commendetur. Quod si illos Lupos occultos, calumniatores, & hypocritas dixit, ejusmodi verba Zelus Augustinianæ doctrinæ inter disputandum extorsit; quod enim majori erga aliquem benevolentiam propensum sumus, eò severius excipimus qui contra eundem loquuntur. Fateor, Augustinum dixisse Massilienses non recedere ab illâ damnatâ Pelagii sententiâ: Gratiam Dei secundum merita nostra dari: lib. de Prædestin. SS. cap. 2. At illi reponerent, Pelagium admisisse merita perfecta, & de condigno, se tantum occasiones quasdam, & ansulas, que ex nobis erumpentibus, utebatur Deus, ne ansatis, & omnino otiosis sua dona conferre videretur. Scitè P. Macedus in serinio cap. 12. pag. 193. Nec satis, inquit, eris effugio dicere, illos posuisse meritum, & initium meriti in natura; Nam in primis id Semipelagianum dicere se negabant. Quamvis verò S. Doctor id responsi egregie confutavit, nil tamen eâ in causa Cælestinus definiuit, aliâ Prosper nunquam Massilienses appellasset catholicos. Scribit Vasquez 1. p. disp. 91. cap. 9. num. 57. Neque incredibile alicui videatur Patres Græcos tantæ Autoritatis, & doctrinæ in hac fuisse sententiâ: siquidem Massilienses, & per Galliam tot etiam insignes viri in eadem opinione fuerunt. Res enim admodum subtilis, & difficilis erat ad explicandum donec Augustinus ingenii sui felicitate, ut multa alia, eam nobis explicuit. Imò ipse Augustinus cap. 3. de Prædest. SS. ingenuè fatetur, se adhuc Presbyterum in errore Massiliensium fuisse. Vasquez laudatus caput 10. his planè verbis inchoat: Cum Cassiano, & Massiliensibus non pauci Scholastici conveniunt. Et nominat statim Scotum, Gabrielem, Cajetanum, Durandum, Scotum, Driedonem, Ruardum, & alios. Sed talionem passus est; Nam Suarez lib. 4. de gratia cap. 14. recitatâ Vasquii opinionem de cogitatione congruâ naturali num. 8. concludit: non videtur per illum dicendi modum convenienter fieri satis difficultati proposita, nec sufficienter vitari Semipelagianorum doctrina. Quæ consultò hic recitavi, non solum, ut appareat viros doctissimos in Massiliensium errorem vel impegisse, vel magni nominis Theologos id saltem de iisdem judicasse, ut planè excusandi videantur Cassianus, Faustus, Vincentius, alique Galliarum doctores, qui initio motæ difficillimæ controversiæ cespitarunt, cum post tot sæcula viri celeberrimi in eodem luto hæere visi fuerint; verum etiam, ut pateat, quam immeritò Norisius carpatur, quod scripsit Sadoletum incautè, & inscienter in Massiliensium errorem impegisse. At impostor grandiores tibias inflans, ac Norisianam palinodiam vehementiori boatu crepans, addit.

Per sine la mia opinione contraddice manifestamente al Martirologio Romano, dove alli 24. di Maggio sà quest' elogio di S. Vincenzo Livinese: doctrina, & sanctitate conspicuus: ch' essendo vero, non poteva esse Semipelagiana, nè meno far chiaro, eospicuo il mede-

simo Santo, anzi denigrarlo, & oscurarlo.

Bellissimè. Divi Cypriani Martyris sanctitate, & doctrinâ clarissimi elogium recitat Martyrologium Romanum. Nullum igitur Cypriani doctrina lucis defectum passa est, cum rebaptizandos hæreticos tanto conatu contendit? Breve quidem, sed solidum à Melchioro Cano responsum accipe, quod proluxæ apologiæ loco sit. Cateroqui, nemo, quamvis eruditus, & sanctus, non interdum hallucinatur, non alicubi cecidit, non alicubi labitur. Sanctus verò is fuit, qui credidit ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos; sanctus fuit, qui in Christi corpore, & sensum panæ, & dolorum fuisse negavit: Sanctus fuit, qui in Chelictarum dogma descendit: Sanctus fuit, qui viro ob adulterii culpam uxorem repudianti, alterum matrimonium concessit: Sanctus fuit, qui animas piorum usque ad diem Judicii veram felicitatem ademitt: Sanctus fuit, qui animam hominis ex traduce esse putavit, &c. Hæc vir doctissimus lib. 7. de locis Theol. cap. 3. Nonnè Massiliæ Sancti Cassiani festum solemnè pompâ die 13. Julii celebratur? Nonnè S. Fausti Episcopi apud Rejos, extructo templo, memoria consecrata est; qui duo tamen fuere Semipelagianæ Scholæ Magistri? Profectò doctrina commonitorii S. Vincentii nomen illustrat; Catholicæ fidei traditionem, & acceptam à Patribus doctrinam, antiqua tantum dogmata recipienda esse demonstrat, profanas verò vocum novitates fugiendas, quæ omnia veritati consona sunt. At quod in uno, & altero versu nescio quem lucis defectum subierit, in re adhuc obscurâ, ac nondum per Apostolicam sedem in Catholico lumine collocatâ, cum tamen in cæteris nitidissimos veræ doctrinæ radios quaqua-versum diffundat, humanæ conditioni condonandum est. Agedum, est ne aliud quidpiam, quod Norisius indicium velit?

Confesso ingenuamente la verità, ch' allora stampai, non avendo altro Autore da seguire, che il Vossio. Di poi che son stato impugnato dal Macco, ricercai altri Autori Catolici, e ritrovai il P. Lupo, & il P. Frassen Francese. Ma il primo per favorirmi approvò la mia opinione, & il secondo solamente dice: videtur adhæsisse. C'è un altro di più, Basilio Ponzio, ma non sà forza, perche non nomina Vincenzo Livinese, e solamente dice: Cassianus, Vincentius, Faustus; Onde quel Vincenzo non era Livinese, ma quell' altro Autore delle obbiezioni chiamate Vincenziane. E ancora che tutti questi affermassero la mia sentenza; Ili qui sunt inter tantos?

Dignum patellâ operculum! Cum suppositam hanc palinodiam ex puris putis mendaciis hucusque contextuerit, triplici mendacio eidem colophona imposuit. P. Lupi volumina Anno 1673. ante Paschalia festa typis excusa prodire, eaque secum in Italiam tulit Illustriss. D. Airolidus Pontificus Inter Nuntius, qui ex Belgio circa Pascha discessit. At Historia Pelagiana mente Major ejusdem anni adhuc Patavinis Typis premebatur. Qui igitur fieri potuit, ut eruditissimus P. Lupus ea de Vincentio tomo 4. pag. 757. inseruerit, ut Norisio suffragaretur, cujus librum nondum viderat? Claudius Frassen insignis Scotista in Academia Scoti tract. 2. disp. 3. sect. 1. §. 2. hæc scribit: Vincentius Livinensis videtur etiam adhæsisse, & fuisse Semipelagianis, censeturque ab aliquibus scriptor objectionum Vincenzianarum, quibus S. Prosper respondit. Quod etsi cætera taceant, hoc sufficienter evincit, quod eodem modo Cælestini Papæ epistolam, quâ se Catholicos tuebantur, adver-

ius & catholicos usurpare non dubitaverit. Et paulo inferius: urgendo tantoperè illud (si) non obscure indicat se criminationem Prosperi, & Hilarii pro falsa habere. Audin, quid dicat? Testatur, Vincentium Cælestini Epistolam in Sancti Augustini discipulos retortisse, ac delationem Prosperi non obscure falsitatis insinulasse. Cur ergo officias facis imperitis, ac miserimæ plebi, ad quam scribis, fabulas vendis?

Sed non minùs putidum mendacium est, quod de corrupto Poncii testimonio commentatur. Nam hic insignis Theologus r. p. Relect. de gratiâ cap. 4. in scripto, de errore Semipelagianorum, pag. 40. v. 13. scribit: *Præcipui inter eos fuere Cassianus Chrysostomi discipulus, & à quo suos errores de gratiâ didicisse existimant nonnulli, sed falsò, ut ostendam postea, & Vincentius Lirinensis, & Faustus Regiensis.* En ipsi sima Basilii Poncii verba: qui Vincentium Lirinensem Massiliensibus accenset, ac Lyrinensem cum, effert. Callidè quidem, sed suismet imposturis factis accommodè pseudo palinodiam Italicè scriptam publicarunt. Quis enim è plebe appellata à Norisio testimonia repetat? Hinc fingunt eadem à Norisio corrupta, cum hujus planè criminis illi rei convincantur. At quid promptam horum ad mentendum audaciam miremur? Nam longè illis facilius fuit unum verbum textui Poncii subtrahere, quam tot verba Norisio per dolum appingere. Inauditum herclè facinus moliti sunt; nusquam enim accepimus, quempiam adducta à semet in sui defensionem testimonia, & quidem suæ causæ validissimè suffragantia, abiecit. Id tamen stoliditatis Norisio affricat, qui locupletissima, ac certissima Erasmeni, ac Poncii testimonia, dudum à se in iudicio adversus accusatorum calumnias appellata, non solum repudiavit, sed etiam, ne sibi patrocinari viderentur, stultè corruerit. Verùm duo insuper testes audiendi sunt. Joannes Garnerius Jesuita in notis ad Marium Mercatorem disert. 1. de Auctoribus hæreseos Pelagianæ cap. 6. pag. 150. col. 2. confutans doctissimi Vignierii opinionem, scilicet Faustum Abbatem Lirinensem tum primùm errores Semipelagianos forbuisset, cum Julianus Pelagianorum antesignanus Anno 440. Italiâ pulsus, in Lirinum se recepit, hæc scribit: *Deindè si qua Pelagiani erroris fuligo Lirinensibus adhaesit, ut adhaesit sanè, ea certè non ex Juliano, sed ex Cassiani societate, & multis quidem ante annis, ut ex Commonitorio Vincentii intelligitur, afflata est.* Ita vir eruditus in Commonitorio, quod anno 434. à Vincentio scriptum fuit, Semipelagianismi notas advertit. Huic suppar accessit P. Pafchafius Quesnellus p. 2. operum Sancti Leonis Magni disert. 3. num. 5. pag. 410. Vincentius, inquit, *Lirinensis clarissima etiam Cælestini Pape pro Augustino verba ex Epistolâ ad Gallos, non dubitavit Santi Doctoris defensoribus objicere, tamquam contrâ eum emissâ à Pontifice, qui dum scripsit: ut definat incessere novitas vetustatem; Augustinum, tamquam novitatis inventorem arguerit, &c.* Hujus scriptoris Testimonium Norisius Antonio Magliabeco, viro omni eruditionis genere insigni, ac toto literario orbe celeberrimo, se acceptum ferre testatus est in epistolâ ad P. Jacobum Florellum Venetum, spectatæ probitatis, ac doctrinæ Theologum, meumque inter paucos amicum. At inquit Impostor: *Isti qui sunt inter tantos? Scito, non esse fungos, aut truncos, sed scriptores doctos, & eruditos, quorum postremò laudati, egregiè in Pelagianorum rebus versati*

sunt, quibus etiam magnus homo honoris gratiâ asfurgat. Scito, esse testes ingenuos, ac procul ab omni partium studio remotos. Scito, horum quatuor adhuc superstites esse, eisque tum ingenium, tum stylum superesse ad ea, quæ meo Norisio similia scripsere, defendenda. Haud opus est mitti in præteritum diligentiam curiosam; cum intrâ proximè elapsum triennium quinque insignes Scriptores in eandem de Vincentio Lirinensi sententiam conspiciant. Inunc, & Norisium, tot licèt locupletissimorum testium præsidio suffultum, pannico tamen timore percussum, palinodiam canere tibimet fingito, eamque extrâ sapientium chorum, apud ignaram, rudemque plebeculam Italicâ linguâ, prælaro anhelante pulmone, ad ravim canta, ac recanta; immò per me etiam crepa.

Sic cuculus cuculat, fritinit rauca cicada.

Ex his satis, superquè, Lector optime, intelligis, quantas hic mendacissimus fictæ palinodiæ artifex insidias fecerit; in quo pudorem, ac conscientiam, imò etiam mentem desideres; dum retractationem fabularem usque ad derisum, & ineptiam Norisio imposuit. Equidem nescio, quo malo fato hic scriptor in ejusmodi genus hominum incidere, quos tanta contrâ illum invidia mordet, ut cum eandem per biennium innumeris scriptiunculis haud quaquàm exhalare potuerint, ipsummet censorias sibi manus inferentem inducunt, ut idem, quem tot hucusque quæ occultis, quæ apertis conatibus deicere perentarunt, suâ ipsius dexterâ cadere videatur. Jam profana Tribunalia adierant; jam Sacros Judices repetitis accusationibus fatigaverant; jam formidandum mortalibus Christi iudicium appellaverant; sed cum nusquam sibi causa adjudicaretur, proximam, & compendiarium, ad eandem obtinendam, viam inire destinarunt; hanc ipsam, quam confutavi, palinodiam sub Henrici Noris nomine vafre, ac malitiosè publicantes. Quotus quisque enim est, qui non statim reum esse illum judicet, qui ultroneâ criminis confessione, vel silente iudice, in semet sententiam pronunciat? Imò eo consilio supposititiam illam retractationem Italicò idiomate concinnarunt, ut plebejus quisque intelligeret, Norisium totâ planè causâ cecidisse, ac dein contrâ eundem plebiscitum conderetur, in quo ipsi postea plebejum, quem nnicè aucupantur, triumphum canerent. Porro ad aniles hæcè nugas miseri homines descenderunt, cum agrè, ac molestè ferrent Norisii Libros per manus, oraque hominum volitare, eorumque jam latius invalescentem famam in remotiores literarii Orbis plagas extendi, nec ullâ adhuc censurâ publicâ coerceri. Enimverò cum Noris volumina apud sacrum Romanæ Inquisitionis Tribunal accusaverint, cur Romanæ censuræ exitum taciti interim, ac quieti non opperiantur? cur tot subinde accusationibus terræ, Cælique Tribunalia pulsant? cur tantam chartæ, ac pecuniæ in edendis tot libellis, tot pagellis, quæ thuris, ac piperis sint cuculli, jacturam faciunt, & stridulos Reverendi illius, quem honoris, ac humanitatis gratiâ non indigito, typos obtundunt? Equidem pol credo Norisium eâ mente compositum esse, ut plurimum S. R. E. pietati se debere intelligat, quæ innumeris Orthodoxi Orbis curis districta, editi ab ipso voluminis correctionem in minimam earundem partem aseiverit. Profectò summæ eisdem gloriæ vertetur, Romanæ Ecclesiæ magisterio didi-

didicisse, ac errores, in quos incautus fortè decidit, Pontificio oraculo præmonente, cognovisse. Decet virum, qui doctrinâ æquè ac vitæ Instituto Augustinianus & esse, & haberi velit, eximium Doctorum Summi ergà Apostolicam Sedem obsequium imitari. Nam cum Augustinus quatuor contrà Pelagianos Libros Bonifacio Pontifici nuncuparet; hæc, inquit, *qua isis, ut dixi, duabus epistolis illorum istâ disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigere Sanctitatem, non tam discenda,*

quàm examinanda, & ubi forsan aliquid displicuerit, emendanda constitui. Itaque Norisus & moderatè, & prudenter se gerit, dum ad Romani iudicii exitum, nequicquàm bambante adversario, vocem suspendit, ac post siparium silet; quamvis illum Momus annosus, pannosus, clamorosus, in alieno focco mirum in scenâ ludere, ac insullam ineptissimæ palinodiæ fabellam coram plebe recitare comminiscatur.

